



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Sessio Secunda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

alie festiuitates labētis & incipiētis anni; placetne vobis primam futuram Sessionem habēdā esse die Iouis post Epiphaniā, quæ erit septima mensis Ianuar. anno Domini M. D. XLVI. Responderunt. Placet.

SESSIO SECUNDA,
CELEBRATA DIE VII. MEN-
SIS IANVARIJ,
M. D. XLVI.

Decretum de modo viuendi, & alijs in
Concilio seruandis.

Sacrosancta Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea presentibus eisdem tribus Apostolica Sedis Legatis, agnoscens cum B. Iacobo Apostolo, quod omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre. luminū qui ijs, qui postulat, à se sapientiam, dat omnibus affluenter, & non improperat eis & simul sciens, quod b. m. i. i. m. sapientie est timor Domini, statuit, & decreuit, omnes & singulos Christi fideles, in ciuitate Tridentina congregatos, exhortādos esse, prout exhortatur, vt se à malis & peccatis hactenus cōmissis emendare, ac de cetero c. in timore Domini ambulare, & desideria carnis non persicere, orationibus instare, sepius cōfiteri, Eucharistie sacramen-

a Iac. i.

b Prou. i.
Psal. 110.

c Prou. i.
& 9.

cramen-

cramentū sumere, ecclesias frequētare, præce-
 pta deniq; Dominica, quātū quisq; poterit, ad-
 implere, necnō quotidie pro pace Principū Chri-
 stianorū, & vnitāte Ecclesie priuatim orare
 velint: Episcopos verò, & quoscūq; alios in or-
 dine sacerdotali cōstitutos œcumenicū Cōciliū
 in ea ciuitate concelebrātes, vt assiduē in Dei
 laudib. incūbere, hostias, laudes, & preces of-
 ferre, sacrificiū missæ quolibet saltem die Do-
 minico, in quo Deus lucem condidit, & à mor-
 tuis resurrexit, ac d̄ spiritum sanctum in disci-
 pulos infudit, peragere satagant faciētes, sicut
 idem Spiritus sanctus per e Apostolū præcipit,
 obsecrationes, oratiōes, postulatiōes, gratiarū
 actiones, pro Sanctissimo Domino nostro Papa,
 pro Imperatore, pro Regibus, & ceteris, qui in
 sublimitate cōstituti sunt, & pro omnibus ho-
 minibus: vt quietam & tranquillam vitam a-
 gamus, pace fruamur, & fidei incrementū vi-
 deamus. Præterea hortatur, vt ieiunent saltē
 singulis sextis ferijs in memoriā passionis Do-
 mini, & elemosynas pauperibus erogēt: in ec-
 clesia autē cathedrali singulis quintis ferijs ce-
 lebretur Missa de Spiritu sancto, cum litanis
 & alijs orationib. ad hoc institutis: in alijs ve-
 rò ecclesijs eadem die dicantur ad minus lita-
 nie, & orationes: f̄ tēpore autē, quo sacra pera-
 guntur, colloquutiones, & confabulationes non
 fiant, sed ore & animo, celebranti assistatur. Et

d. Act. 2.

ei. Tim. 2.

infra in
 sess. 22. in
 decreto
 de obser-
 uādis in
 celebr.
 miss.

quo

quoniam a oportet Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suae bene propositos hortatur etiã, ut ante omnia quilibet in mensa b seruet sobrietatem, moderationemq; ciborũ. deinde cũ in eo loco sepẽ otiosi sermones oriri soleant, ut c in ipsorũ Episcoporum mensis diuinarum Scripturarum lectio admisceatur: familiaris verò suos vnusquisq; instruat, & erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemii, & voluptatũ amatores; vitia demum fugiant, & virtutes amplectantur, & in vestitu, & cultu, & omnibus actibus honestatem preferant, sicut decet ministros ministrorum Dei. Adhaec, cum huius sacrosancti Concilij praecipua cura, sollicitudo, & intentio sit, ut propulsatis haeresũ tenebris, quae per tot annos operuerũt terram, Catholice veritatis, lux Iesu Christo, & quae vera lux est, annuẽte, cãdor puritasq; resulgeat; & ea, quae reformatione egẽt, reformentur: ipsa Synodus hortatur omnes Catholicos hic congregatos, congregandos, atque eos praesertim, qui sacrarum literarum peritiam habent, ut sedula meditatione diligenter secum ipsi cogitent, quibus potissimum viis, & modis ipsius Synod. intentio dirigatur, & optatũ effectum sortiri possit, quo maturius & consultius damnari damnanda, & probanda probari queant: ut per totum orbem oẽs vno ore, & eadem fidei confessione glorificent

Deam,

a Tim. 3.

b Tit. 1.

1. Tim. 3.

c ff. 2. q. 7.

cum sim.

Cõc. Tol.

3. cap. 7.

Cõ. Rhe-

mẽ. c. 17.

Euf. in 4.

decret. &

infra Sel.

25. c. 1. de

reform.

c Euseb.

1. Epist. 3.

d Ioan. 1.

c. cum ex.

iniunctio

de haret.

a Conc.
Tolet. II.
ca. 1.
Concil.
Constan.
Sess. . in
princ. c.
in loco
S. q. 4.
Vide &
4. Tolet.
c. 3.

b Idē in
conclu-
sione re-
peritur.
Episcopis
forma
prescri-
pta est
Bracc.
ca. 24.

Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi.

In sententijs verò dicendis iuxta a Toleta-
ni Concilij statutū, in loco benedictionis confi-
dentibus Domini sacerdotibus, nullus debeat
aut immodestis vocib. perstrepere, aut tumul-
tibus perturbare, nullis etiam falsis vanisve,
aut obstinatis disceptationibus cōtendere: sed
quidquid dicatur, sic mitissima verborū pro-
lutione temperetur, vt nec audientes offen-
dantur, nec recti iudicij acies perturbato ani-
mo inflectatur.

Insuper ipsa sacra Synodus statuit, ac de-
creuit, quod, si fortè contigerit aliquos debito
in loco b non sedere, & sententiā, etiam sub
verbo, Placet, proferre, congregationibus in-
teresse, & alios quoscunq; actus facere, Cōcilio
durante, nulli propterea praeiudicium genere-
tur, nulliq; nouum ius acquiratur.

Deinde indicta fuit futura Sessio ad
diem Iouis, quartam mens. Febr.
proximè venturi.

SESSIO TERTIA,
CELEBRATA DIE IV MEN-
SIS FEBRUARII.
M. D. XLVI.

Decretum de symbolo Fidei.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Tri-
nitatis, Patris, & Filij, & Spiritus san-
cti.

Hæc